N. 2475.

CURRENDA IX.

A. D. 1858.

N. 2065.

Inculcatur Obligatio applicandi Missam pro populo abrogatis quoq. festis.


Vigore Constitutionis p. m. Urbani VIII. Papæ de Idibus Sept. 1642 ex præcepto colendi erant dies festi præter dies Dom. totius anni et præter festa adhuc vigentia hac in Diœcesi sequentes 19. 1. S. Mathiæ 24. aut 25. Feb. 2. S. Josephi Sponsi 19. Mart. 3. Feria III. Resurectionis D. N. J. C. 4. SS. Philippi et Jacobi 1. Maji. 5. Inventionis S. Crucis 3. Maji. 6. Feria III. Pentec. 7. Nativitatis S. Joan. Bapt. 24. Jun. 8. S. Jacobi Ap. 25. Jul. 9. S. Annæ 26. Jul. 10. S. Laurentii M. 10. Aug. 11. S. Bartholomei Ap. 24. Aug. 12. S. Mathei Ap. 21. Sept. 13. SS. Simonis et Judae 28. Oct. 14. S. Andreæ Ap. 30. Nov. 15. S. Thomæ Ap. 21. Dec. 16. S. Joannis Ap. 27. Dec. 17. SS. Innocentium.28. 18. S. Silvestri Pap. et Conf. 31. Xb. et 19. dies Solennitatis Patroni principalioris in quacumq. parochia... atq. his diebus utpote festis populus ad sacra audienda convenire, Parochus vero et quicumq. curam animarum gerens, ipsemet, nisi impeditus canonice, Missæ Sacrificium pro populo applicare tenebatur. Memorata festa a. 1771. Papa piæ recordationis Clemens XIV. abrogavit, absolvitq. fideles ab obligatione audiendi Missæ sacrum, ac veniam concessit in servilia opera incumbendi... verum nullatenus animarum Curatores ab officio sacrum pro populo offerendi exemit. Nihilominus successu temporis tam dies abrogati, quam ipsa obligatio juvandi parochianos sacrificii Missæ thesauro in oblivionem abiere. Percepto tristi de tanta beneficiorum privatione nuntio SS. Papa Noster, Pius IX. Epistolam ad totius orbis Episcopatum encyclicam sub 3. Maji a. c. dare unumq. ejus exemplar horsum submittere dignatus est, cujus Copiam fidelem infra impressam Vobis Venerabiles in Xto Fratres! communicare haud tardamus. Ejus tenore locuplete attentio nostra inter alia non solum ad sublimitatem et donorum ubertatem Sacrificii N. F. ad solennissimam ejus cum interiori Sacrificantis munditia celebrationem; ad obligationem offerendi quoq. hostiam hanc salvificam pro populo diebus abrogatis supra memoratis, &c. sed ad erudiendos etiam Xtifideles de sanctitate tam admirabilis sacrificii, ac fonte benedictionis semper scaturiente; ad excitandos parochianos de capessenda exinde salute per ejus frequentiam multiplici excitatur. Exinde quoq. notitiam capietis de gratia dispensationis a præterita officii applicandi Missam pro populo festis sublatis omissione; nec non de via consequendi relaxationem pro futuro gravibus ex causis. Demum in illa solicitudo Nobis imponitur, Vos Venerabiles Fratres! ad colendam morum integritatem, ad indefessam fidelium instructionem, ad curandum divinum cultum ac decorem Domus Dei, ad stabiliendam Vestram Vestrorumq. salutem... indesinenter flectendi.

Quibus qua introductione ad ipsam Encyclicam præmissis obtestamur Vos Dilectissimi! ut paternam Vigilantissimi Christi in terris Vicarii Pii IX. vocem cum filiali venerationis affectu ex ipso Ejus tenore percipere atq. eam, quin exhortationem præterea specialem ad Vos emittamus, religiosissime exequi studeatis. Agnoscatis S. Matris Esiæ obsecrationem multiplicem, quatenus fideles sibi a Dno commissos non pabulo solum doctrinæ cœlestis pascatis et Sacramentorum virtute exornetis ac

confortetis; verum precibus quoque, et in specie psalmodiæ Officii divini seu Breviarii concentibus quotidie, ad quod officium sub reatu peccati mortalis nec non amissione portionis e reditibus pro ratione omissionis aut temporis adæquatæ, imo privatione nonunquam etiam beneficii... juxta nonnula Conciliorum Diœc. decreta obligati estis, præprimis suffragiis Missæ sacrificii... tum diebus Dom. tum festis sive adhuc vigentibus sive a. 1771 abrogatis, sedulo juvetis. Quodsi Aliqui onus persolvendi pro populo Missam festis illis sublatis hucusq. neglexerint, absolutionem quidem pro præterito a Clementissimo Papa Nostro appromissam habent; attamen hanc suffragiorum lacunam Parochianis tempore a stipendiis libero, applicatione Missarum pro eorum salute explere satagendo, a momento, quo Currenda præsens ad manus Vestras devenerit, diebus olim festis et sæpe memoratis, fructus immaculatæ hostiæ cunctos pro populo offeratis, eumq. ad frequentandum sacrum diebus toties attactis flectatis.

Insuper commendamus, ut officium hocce, quod accrevit resuscitatum, jam Tabellæ fundationum in Sacristia, jam Conspectibus fundat. inseratis, et si quidam e ratione sufficiente dispensationem ab onere 19 Missarum annuo Romanam in posterum anhelarent, libellum supplicem motivis solidis exornatum ad Nos, attamen ante exordium anni 1859. expedire hisce authorisantur.

Tenor Epistolæ encyclicæ prælaudatæ est sequens:



„Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus

PIUS PAPA IX.

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM!
VENERABILES FRATRES!

Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres! humana indutus natura non solum sævissimos pro nostra salute crucitatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui nominis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in Catholica Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo, ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in caelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari jussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaequae omnem merendi, pla-

candi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens „*illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur*“. S. Gregor. M. Dialog. lib. 4. cap. 58. Atque hæc est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse prædixit. Malach. cap. 1. Quæ quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans præsentem æque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumq. pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traducitur; et temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animæ nondum ad plenum purgatæ sublevantur; et obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatæ Sanctissimæq. Dei Genitrici Virgini Mariæ eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missæ sacrificium offerimus „pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23. Mystag. 5 de sacra Liturg.

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missæ sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Jesus Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur, et immolatur; iccirco Sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamq. in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, *interiore cordis munditia ac puritate* perageretur, debitoque sacrarum cæremoniarum ac rituum apparatu, cultuq. celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultæ continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioq. ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, præcipiens, ut eidem omnibus de præcepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud, oculisq. religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumq. bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex homminibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missæ sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curæ commisso, et hujusmodi obligationem

ex Divino præcepto descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisq. verbis edoceat *„praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.“* Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. De Reformat. Notissimæ quoque vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV Decessoris Nostri Litteræ die 19. Augusti anni 1744 datæ, quibus de hac obligatione copiose, sapienterq. loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quæstiones dubitationesque amovendas, clare aperteq. declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missæ sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de præcepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Diœcesibus dierum de præcepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent. Bened. XIV. Litt. Encycl. „Cum semper oblatas“ Die 19. Augusti 1744. Non mediocri certe jucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum Diœcesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex præcepto servantur, diebus, quibus Missæ sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu prætermitti solere aliis diebus, qui antea veluti festi de præcepto erant colendi juxta Constitutionem felicis memoriæ Urbani VIII Decessoris pariter Nostri, Urban. VIII Constit. „Universa per orbem“ Idib. Septembr. 1642. et quibus hæc Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac præ oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de præcepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim hæc benigna Sanctæ Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum Parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere, qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex hujusmodi prætermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum præsertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusq. fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum temporum ac locorum rationibus permoti festos de præcepto dies imminuendos censuerint ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exerce-

rent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Prædecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamq. legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitntio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de hujusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandae, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Pœnitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis Tridentinis Decretis tuendis, interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemq. constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterq. observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisq. diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum *illis etiam*, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de *praecepto festorum numero sublati*, *ac translati sunt*, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos *translatos dies* id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, *una* tantum *Missa pro populo* sit a parochis *applicanda*, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquilitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos *ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus* Auctoritate Nostra Apostolica plenissime *absolvimus*. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in præsentiarum regunt et administrant.

Dum autem hæc statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obliga-

tioni applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur serio considerantes uberrimam cælestium præsertim munerum, ac bonorum copiam, quæ ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curæ commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus *obligationis remissio parochis sit tribuenda*, sciatis velimus, ab omnibus Nostram *Concilii Congregationem* unice esse *adeundam* ad hujusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandæ præposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Diœcesium parochis, nulla interposita mora, *sedulo manifestare velitis*, quæ in hisce Nostris Litteris de eorum obligatiane applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missæ sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, præcipimus, et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent, quae a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem, ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cujusque vestrum Curiae perpetuo asservetur.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missæ sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos præsertim, aliosque divini verbi praecones, et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut *fidelibus populis* tam sancti tamque *admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint*, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis, omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Diœcesium Sacerdotes *ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant*, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac caelestis potestatis, qua praediti sunt, *virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Jesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.*

Denique nihil Nobis gratius, Venerabiles Fratres! quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut majore usque alacritate pergatis omnes gra-

vissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad majorem Vestram ac Diœcesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero caelestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die III Maji Anno MDCCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.“

Casus liturgici.

I. Utrum sacerdos, qui valetudine gaudet, sed nec vi muneris, nec obligationis ob stipendium aut fundationem ad sacrificandum tenetur, se celebrationi Missae frequentissimae subducere possit sine culpa?

Audiamus desuper Rituum Scrutatorem *Quarti* in appendice de Sacrif. Missae q. 3. punct. 2. et S. Alphonsum *Ligori* l. b. n. 359. Ille scribit ita: „Secluso impedimento docet (S. Thomas Aquin.) quam frequentissime offerri; consequenter quotidie. Unde Ven. Beda allegatus a Gabriele sic asserit: Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in ipso est, privat SS. Trinitatem laude et gloria, angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, ecclesiam speciali Xti beneficio et seipsum medicina et remedio.“

Hic autem vir s. contendit: „Quapropter nescirem a culpa.... excusare sacerdotem illum, qui quotidie celebrare posset, (una hebdomadis die excepta ob reverentiam) et sine ulla justa causa, sed tantum ob desidiam a celebrando abstineret; sacerdos enim non solum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius ecclesiae populiq. christiani, cujus minister et intercessor est constitutus, juxta illud Apostoli Heb. 5. 1.“

II. In hac illave parochia, ubi 2 adsunt Presbyteri, Parochus et Vicarius, consuetudo viget, ut diebus Dominicis et festis per turnum Parochus sive Vicarius Missam solemnem (summam) pro parochianis applicet... licetne?

Nequaquam, nam parochus *ipsemet* nisi legitima causa impediatur, pro populo sacrificium Missae applicare tenetur, ita antea et nuperrime, videlicet 25. Sept. 1847 decidit SS. RR. Congregatio... ad quaestionem: *Quid censeri debeat de consuetudine*, *vi cujus parochus diebus dom. et fest. Missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat*, *et nullo legitimo impedimento detentus*, *onus celebrandi Missam pro populo*, *in alium sacerdotem transfert...* verbis claris: *consuetudinem*, *de qua agitur*, *non esse attendendam.*

III. Ergone Parochus Summam semper celebrare, eamq. pro populo applicare tenetur?

Populus quidem fidelis autumat, summum sacrum pro se applicari; attamen Parocho

licet, Missam etiam privatam, vel aliam e. g. primariam offere pro parochianis, quo in casu Cooperator vel alius Missam solemnem, summam celebrans, eam ad propriam intentionem applicare potest. Hoc concluditur e responso SS. RR. Cong. de 27. Feb. 1847. 22. Jul. 1848 &c. ad quaestionem: *Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die dominica cantat summum sacrum, (quod hic posse censetur per consuetudinem) an parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, teneturve procurare, ut pro populo applicetur summum sacrum?...*

IV. An Parochi Cathedralium et Collegiatarum, qui sunt primae dignitates, vel membra earumdem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus dominicis et festis per missam conventualem, quae in choro quotidie canitur; an ultra praedictam conventualem Parochi supradicti teneantur celebrare et applicare supradictis diebus pro parochianis?

Non excusantur, sed tenentur. SS. RR. Congr. de 31. Mart. 1708.

V. Sed quid tunc, quando per turnum ad supradictos Parochos spectat Missam conventualem canere diebus dom. et festis; teneanturne iidem celebrare facere pro parochianis aliam Missam propriis sumptibus?

Eodem decreto de 31. Mart. 1708 iis obligatio imponitur procurationis Missae per alios absolvendae.

Sed quae ratio esse potest, ut Parochi stringantur *ipsi*, diebus Dom. et fest. per se non per alios applicare Missam quamcumq. pro parochianis?

Non alia certe, quam haec, ut ipsis, his saltem diebus, in memoriam revocetur intimus nexus, qui intercedit inter pastorem et oviculas, charitas et zelus fervidissimus ratione salutis fidelium *sibi* non *alii* commissorum... quo excellere obligatur quisq. beneficiatus.

N. 2816. 2400. 2452.

Ogłoszenie śmierci 2 Konfratrów St. w. m. a innego niečłonka.

JX. Jan *Bańkowski* Pleban w Bieńkówce umarł d. 15. Lipca a JX. Józef *Słodykiewicz* Proboszcz w Nowym Wiśniczu umarł d. 28. Sierpnia b. r.

Kapłani należący do Stowarzyszenia wzajemnych modłów o szczęśliwą godzinę śmierci, zechcą za duszę powyżéj rzeczonych współczłonków Stowarzyszenia, według przyjętego na się zobowiązania, *po 1 Mszy św.* odprawić.

Na koniec duszę ś. p. Wojciecha Kalatowicza, Plebana Gręboszow. 7. Września r. b. zmarłego pobożnym modłom poleca się niniejszém.

Illmo Praesule iter faciente
Franciscus Szlosarczyk
Praeposit. Capit. & Officialis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 11. Sept. 1858.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.